



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. An privilegium sinatur per mortem illius, cui concessum est, vel per mortem concedentis, item an per renuntiationem privilegiati?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

prout cessat etiam privilegium conditionatum, cessante conditione, sub qua concessum fuit. Causa verò si cesset, cessat quidem etiam privilegium, si causa illa finalis motiva & principalis fuerit, & privilegium tale sit alicui præjudicans, ad cuius conservationem causa etiam requiratur; non cessat tamen, si causa, quæ cessat, tantum sit impulsiva, aut merè favorabile privilegium, cuius usus propter mutationem variarum circumstantiarum non est illicitus, & injustus redditus.

§. II.

An privilegium finiatur per mortem illius, cui concessum est, vel per mortem concedentis, item an per renuntiationem privilegiati?

SI personæ tantum concessum sit privilegium, extinguitur per mortem illius, ita ut ad hæredes non transeat, quia personæ coheret, & eam sequitur *cap. privilegium 7. de regul. juris in 6.* si verò ratione dignitatis v. g. alicujus, ratione loci, officij &c. concessum sit privilegium, ita ut non tam personale, quam reale sit, non extinguitur per mortem illius, qui hoc privilegio ratione dignitatis v. g. gaudebat, sed transit ad eum, qui in dignitate, seu officio succedit.

Neque per mortem concedentis amittitur ordinatè privilegium, uti patet *ex lib. 1. Decret. tit. 29. sect. 7. §. 5.* si semel legitimè acquisitum est, cum sit favor Principis, qui permanere debet, & liberalis quasi donatio, quæ semel facta non expirat per mortem donantis, nisi

aliter sentire & loqui jubeant, verba privilegium restringentia, ultra mentem enim concedentis, quæ per verba innotescat, extendendum non est privilegium.

Quia verò quisque suo juri, & favori pro se introducto cedere potest, si nulli cessio talis præjudicet, hinc valida, & licita est renuntiatio privatæ, & particularis personæ, si privilegio sibi peculiariter facto renuntiet, & effectum suum plenum habebit renuntiatio hæc, ut pertinere amplius non possit, si à concedente privilegium fuerit admittit renuntiatio; si verò in favorem alicujus communis, dignitatis, vel loci fuerit concessum privilegium, non possunt particulares illius communis personæ tali privilegio renuntiare, cum renuntiatio talis esset in præjudicium communis, dignitatis, vel loci illius. *Argum. cap. cum tempore §. de arbitris, & cap. si diligenti. 12. de foro compet.*

§. III.

An & quando amittatur privilegium per tacitam renuntiationem, sive per non usum, vel per contrarium usum, vel per abusum?

QUOD Privilegia affirmativa, quibus datur facultas agendi aliquid, cum gravamine & onere aliorum, per non usum privativum (voluntarium & liberum, oblatâ occasione utendi privilegio) amittantur, per viam præscriptionis, & tacitæ renuntiationis, passim docent auctores, qualis tamen tacita renuntiatio, non censetur ille non usus, quo quis longissimo